

buscumque statutis et consuetudinibus. Quod ipsum S. C. Congregatio sæpius declaravit (1). Et obtinet etiam in casu, quo absentes tempore vacationis in morbum inciderent (2), et non obstantibus quibuscumque statutis et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, ut liquet ex Concilio Tridentino et pluribus declarationibus S. C. C. (3), nisi statuta Sedis Apostolicæ auctoritate facta fuerint, aut ab eadem confirmata, etiam ante Concilium Tridentinum, qualia per concilium sublata non fuerunt (4), aut nisi a Sede Apostolica indultum impetratum fuerit, quod, attentis redditibus tenuissimis, ex speciali gratia aliquando conceditur (5).

§ 10. *De causis excusantibus a residentia.*

I. Causæ quæ canonicos a residentia eximunt, in jure expressæ non reperiuntur. Illæ enim, quas Concilium Tridentinum sess. XXIII, cap. 1, de reform. memorat, nempe *Christiana charitas, urgens necessitas, debita obedientia, ac evidens ecclesie vel reipublicæ utilitas*, referuntur ad rectores ecclesiarum, animarum curam habentes; et aliæ quæ habentur sexti Decretalium lib. III, tit. III de Clericis non residentibus, videlicet: *Infirmitas seu justa et rationabilis corporalis necessitas, aut evidens ecclesie utilitas*, agunt de distributionibus. Quum autem per ipsos non stet, quominus resideant et ecclesie inserviant; nullum idcirco ex absentia pati debent detrimentum. Hinc omnes etiam conveniunt, plurimas esse causas, quæ canonicos excusant a personali residentia. Ast quænam sint causæ graves et sufficientes ad excusandum, in genere definiri non potest. Omnes tamen illæ causæ, quæcumque sint, ad unam ex supra expressis referuntur.

(1) Anno 1586 in *Bononien.* et in alia *Pistorien.* lib. 4 decret. p. 168 et 212, apud Bened. XIV Inst. 107, § VI; 15 Januarii 1707 in *Asculana* lib. 57 decret. p. 1; 18 Aug. 1708 in *Suessana* lib. 58 decret. p. 388, apud Pallottini *Canonici* § IX, n. 144-147.

(2) S. C. C. 6 Dec. 1794, in *Oriolen.* § *Quatenus.*

(3) In *Mediolanen.* mense Majo 1586, lib. 4, decret. p. 141; 12 Sept. 1829, in *Derthonen.*; 30 Januarii 1830 in *Ipporegien.* § Si; 18 Junii 1831 in *Florentina* § Si, apud Pallottini *Canonici* § IX, n. 151-155; Fagnanus in 1, p. III Decretal. de præbendis c. *Licet*, n. 92.

(4) S. C. C. anno 1586 in causa *Bononien.* et in alia *Pistorien.* loco supra cit. 26 Mart. et 23 Ap. 1831, in *Ipporegien.* apud Pallottini *Canonici* § IX, n. 158 et 161.

(5) Lucidi de Visitat. SS. Lim. vol. 1, fol. 255, n. 20.

Ex his causis aliæ canonicos ita excusant, ut per fictionem juris præsentibus reputentur, ipsique licet absentes, non tantum fructus præbendæ, sed etiam distributiones quotidianas lucrentur. Hæ causæ sunt, quæ recensentur in cap. unico de clericis non residentibus in VI, ut supra dictum est. Aliæ vero canonicos quidem eximunt a servitio chori, sed ita, ut solos fructus præbendæ, non autem distributiones quotidianas percipiant. Quæcumque tamen causæ justæ, quæ a residentia eximunt, excusant quoque a peccato, et ab obligatione in conscientia choro assistendi.

Quænam autem sint causæ graves et sufficientes ad excusandam a personali residentia, et consequenter a pœnis statutis, dici nequit, cum hoc plurimum dependeat a variis circumstantiis, quæ Episcopi seu Ordinarii judicio determinandæ permittuntur, quandoquidem gravitas et levitas non nisi prudenti intellectus discretionem, consideratis omnibus adjunctis, determinari potest (1): prout testante Fagnano (2), censuit S. Congregatio, nemini abesse licere præterquam ex causis in jure expressis, quæ an vere subsint, Episcopi esse judicium.

II. Unde ut causa canonicos a residentia excuset, juxta quosdam (3) requiritur prævia Ordinarii approbatio ac licentia. Hanc autem licentiam potius de honestate quam de necessitate petendam esse docet Garcias (4) in omnibus casibus a jure expressis. Si vero dubium supersit, certe requiritur approbatio et licentia Ordinarii, cujus est, ut jam dictum est, judicare, num causa vere subsit.

III. Episcopus dare non potest licentiam absentiae seu non residendi, nisi in casibus a jure expressis: Sacra enim Congregatio, ut refert Garcias (5) declaravit, non dari facultatem Ordinariis, dispensandi in residentia ex quavis ratione, sed tantum ex causa, quæ est a lege approbata, et in jure expressa. Episcopus tamen consensum capituli requirere non debet (6).

Capitulum eam licentiam, licet ad breve tempus, et ex justa causa, etiam ex consuetudine, dare non potest, quia non potest

(1) Pallottini *Canonici* § V, n. 47.

(2) In 1 p. III Decretal. de præbendis c. *Licet*, n. 75.

(3) Fagnanus in 1 p. III Decretal. de cleric. non resid. c. *Cum ad hoc*, n. 8; Reiffenstuel lib. III Decretal. tit. IV, n. 122.

(4) De benef. p. 3, cap. 2, n. 94-98; Engel lib. III Decretal. tit. IV, n. 28.

(5) Loco cit. n. 406 412; Fagnanus in 1 p. III Decretal. de præbendis c. *Licet*, n. 37.

(6) Garcias ibidem n. 407.

dispensare seu gratiam facere in lege Superioris, qualis est lex residentiae (1).

Summus autem Pontifex facultatem non residendi, cum jure percipiendi fructus, concedere potest, etiamsi non adsit ratio seu causa canonica; nam ejus est solvere, cujus est ligare. Talia indulta sæpius conceduntur v. g. concionatoribus tempore quadragesimæ et adventus, ratione infirmitatis, officii aut alicujus impedimenti ad certum tempus, ad triennium, quamdiu causa duraverit, etc.

IV. Canonici ex justa causa absentes, non tenentur relinquere substitutum, ac per hunc interim deservire, non obstante immemorabili consuetudine, prout a S. C. C. declaratum fuisse refert Garcias, et millies resolutum fuisse affirmat Fagnanus (2).

V. Causæ quæ communiter allegantur ad excusandum a residentia, sunt: *legitima vacatio* de qua hoc capite § 4 dictum est.

VI. *Christiana charitas*, v. g. ad componendas graves, præsertim Magnatum inimicitias ac dissidia, ad pauperum aliorumque afflictorum causam agendam, ad subveniendum alteri periclitanti ecclesiae, modo ex absentia propriae ecclesiae notabile damnum non emergat, quod foret contra ordinem charitatis (3).

VII. Alia causa est *urgens necessitas seu justa et rationabilis corporalis necessitas*, propter quam residentia moraliter fit impossibilis vel saltem admodum periculosa; sub qua tamen etiam intelligitur timor cujuscumque gravis damni in vita, honore aut bonis (4). Sub his necessitatibus comprehenduntur casus infirmitatis, pestis, belli, corruptionis aeris, inimicitarum, persecutionis, carceris aut exilii injusti, litis prosequendæ super juribus canonicatus, etc.

1° *Infirmitas*. Ecclesia, inquit Benedictus XIV (5) tanquam amantissima parens ægrotantibus plurimum indulget, sed inter morbos haud recenset levissimum etiam capitis dolorem et quamcumque tristitiæ causam, quæ canonicum aut beneficiarium non impediunt, quin suis negotiis operam impendat. Quapropter re-

(1) Garcias loco cit. n. 402-405, 417. Vide Acta S. Sedis, vol. 16, fol. 98 et seqq.

(2) Garcias de benef. p. 3, c. 2, n. 197; Fagnanus in 1, p. III Decretal. de concess. præb. c. *Nulla*, n. 73; Reiffenstuel, lib. III, Decretal. tit. IV, n. 123; Lucius Ferraris *Canonicatus* art. V, n. 40.

(3) Bockhn lib. III Decretal. tit. IV, n. 33.

(4) S. Alph. de Ligorio, theol. mor. lib. 4, n. 130, II.

(5) Inst. 107, § VIII.

quirit morbum verum, haud fictum, neque levem, sed gravem, vel saltem talem, quæ gravis fieri potest per accessum ad ecclesiam. Ad quam gravitatem dijudicandam, jure merito res tota arbitrio boni et prudentis viri relinquenda est. Communiter non sufficit, se ægrotum fateri, et ad ecclesiam non accedere, interim autem urbem circumire (1). Excusantur tamen qui domi morantur ad medicinam sumendam, ad venam scindendam; qui proficiscuntur ad balnea, aut ad locum salubrioris aeris (2); item qui ex propria culpa infirmitatem contraxerunt, quia jus indistincte excusat infirmos, et ratio est, quia, etsi tales propria culpa sint impediti, hoc tamen impedimentum non a jure, nec ab homine, sed ab ipso Deo illatum est, et affictis afflictio addenda non est (3). Id ipsum locum habet non obstante statuto vel consuetudine contraria, quia hoc foret irrationabile et contra bonum ecclesiae, cum alii eo exemplo essent deterriti, et forte qui ecclesiae militarent, inveniri non possent (4). Quod autem infirmitas excuset, limitandum est ad casum, in quo canonicus infirmus, dum integra valetudine utebatur, solitus erat, divinis officii assistere, quia alias morbus non est causa non residendi in eo qui sanus non residebat (5).

Præterea tempus, quo canonicus fuit infirmus, computandum non est pro tempore vacationis, ut testante Fagnano (6) Sacra Congregatio declaravit; nisi tempore vacationis in morbum incidat, in quo casu, quia ægritudo non est causa absentiae, cum etiam, ea cessante, tunc temporis vacasset a servitio ecclesiae, tempus pro vacatione computandum est. Aliud autem est, si morbus ultra tempus legitimæ vacationis perduraverit, quia, cum antea solitus esset divinis interesse, verisimiliter expleto vacationis tempore, ad servitium chori rediisset, et sic infirmitas dicenda est causa absentiae (7).

2° Dubitatur an excusentur septuagenarii; alii enim affirmant, et alii juxta S. Alphonsum de Ligorio verius negant: cum autem nec

(1) Bened. XIV loco cit.

(2) S. Alph. de Lig. theol. mor. lib. 4, n. 130, II.

(3) Fagnanus in 1 p. III Decretal. de præbendis c. *Licet*, n. 147; S. Alph. de Ligorio theol. mor. lib. 4, n. 130.

(4) Fagnanus loco cit. n. 136-138; Henry de residentia cap. V, § IV.

(5) Fagnanus loco cit. n. 148; Benedictus XIV, Instit. 107, § VIII.

(6) Loco cit. 140.

(7) Fagnanus ibidem n. 149; S. Alph. de Ligorio ibidem.

ipsa senectus canonicos excuset, quominus choro perinde ac cæteri interesse teneantur (1); cum eodem Sancto dicendum est, septuagenarios non excusari, si sint robusti, et ad alia negotia peragenda egrediantur; secus autem si sint debiles, et commode interesse nequeant (2).

3° Dubitatur, an excusetur cæcus. At juxta Benedictum XIV cæcus inter ægrotantes numerandus est, et ipsi plura S. Congregationis decreta suffragantur: ita ut horis canonicis interesse non teneatur a die qua lumine caruit, a celebratione missarum prorsus immunis sit, neque alium suo loco, cum sit legitime impeditus, substituere debeat (3).

4° Surdus et cæcus juxta aliquos æquiparantur (4). Sed juxta S. Alph. de Ligorio (5) melius negatur surdum excusandum esse, quia ipse commode ad ecclesiam accedere potest, chorus ei non nocet, et ipse saltem assistendo cultum adauget.

5° Pestis in loco sæviens legitimam præbet absentiae causam (6). Non sufficit autem, ut pestis sit aliquatenus vicina, et timeatur, ne accedat, sed requiritur, ut dici possit jam in loco grassans. Quando vero ita grassari dici possit, ut sit justa causa absentiae, Episcopi judicio relinquendum est (7).

Idem juxta S. Alph. de Ligorio (8) probabilius dicendum est de absente ob metum belli.

6° Aëris intemperies, inclementia, asperitas aut insalubritas seu corruptio ante Concilium Tridentinum habebatur justa causa non residendi; verum post Concilium Tridentinum idcirco non videtur, capitulum pro libito discedere posse, sed exinde locus datur dispensationi, quam Sacra Congregatio, inspectis rerum circumstantiis, humanæ fragilitati indulgere solet (9).

7° Justa causa sunt capitales inimicitiae atque injuriæ, ob quas

(1) S. C. C. 1600 in *Assisten.* lib. 9 Decret. pag. 94, apud Pallottini *Canonicæ* § VII, n. 331.

(2) S. Alph. de Ligorio theol. mor. lib. 4, n. 130, dub. 1; Fagnanus loco cit. n. 146.

(3) Inst. 107, § VIII; Fagnanus loco cit. n. 143. Vid. cap. XXX, § 8, III, 1°.

(4) Bouix de capitulis p. III, cap. II, § XIII, p. 1, n. 5; Henry de residentia c. V, art. 2, § IV.

(5) Loco cit. dub. 2.

(6) S. C. C. 9 Nov. 1630 lib. 14 decret. p. 337.

(7) Bened. XIV Inst. 107, § 8; Bouix loco cit. n. 7; Henry loco cit.

(8) Theol. mor. lib. 4, n. 130, II.

(9) Pallottini *Canonicæ* § V, n. 92-105.

alicui in chorum venire non permittitur, modo tamen has injurias immerito patiat, et antea in choro frequens esse consueverit (1).

8° Excusatur injuste in carcerem injectus. Tunc autem aliquis injuste in carcere detinetur, cum id declaraverit sententia judicis, quæ in rem judicatam transit (2), et tamdiu lucratur fructus sui canonicatus, quamdiu per sententiam non declaratur, illum juste in carcere deteneri (3).

9° Excusantur expulsi a civitate propter seditiones absque sua culpa (4); qui ab hostibus capiuntur, injustum patiuntur exilium, detinentur per vim, aut impediuntur ob timorem gravis nocenti ab inimicis (5); qui timore carceris, deportationis aliarumque pœnarum, quæ a civili magistratu injuste comminantur, abscedunt; qui aufugiunt, ne preces ab usurpata dominatione præscriptas recitare debeant, vel ut vetito juramento a civili potestate imposito sese subtrahant (6).

10° Ad eandem causam urgentis necessitatis pertinet absentia canonici ad prosequendam litem super juribus canonicatus (7).

11° Injuste excommunicatus fructus non amittit, secus autem, si juste. Si quis juste excommunicatus sit, et nihilominus choro assistat, quidam censent, ipsum fructus amittere, et alii negant, quia, licet ille peccet assistendo, et a judice fructibus merito privari debeat (8), nullibi tamen constat, hanc privationem ipso jure impositam esse (9).

Injuste suspensus nedum fructus ac distributiones omnes percipere debet, licet choro non interfuerit, sed et locus ei est emendationi damnorum (10); juste autem suspensus a beneficio, privatur fructibus et distributionibus. Jus tamen habere videtur choro assistendi, non tanquam capitularis, sed sicuti laicus; et in choro canere potest, non uti hebdomadarius, sed ut laicus dumtaxat (11).

(1) S. C. C. 14 Ap. 1736 in *Majoricen.* Benedictus XIV Inst. 107, § VIII; Lucius Ferraris *Canonicatus* art. V, n. 35; Acta S. Sedis vol. XII, fol. 366.

(2) Benedictus XIV loco cit.

(3) Pallottini *Canonicæ* § III, n. 76 et 77.

(4) Fagnanus in 1 p. III Decretal. de præbendis, c. *Licet*, n. 151.

(5) S. Alph. de Ligorio theol. mor. lib. 4, n. 130, II.

(6) S. C. C. 16 Feb. et 8 Maji 1627 in *Lancianen.*; 9 Sept. 1815 in *Reatina et Ferentina*; Acta S. Sedis vol. 2, fol. 407, vol. IV, fol. 309; Pallottini *Canonicæ* § III, n. 92-98, et § V, n. 54-56.

(7) Lucius Ferraris *Canonicatus* art. V, n. 35.

(8) Lib. II Decretal. tit. XXVIII, c. LIII, *Pastoralis*.

(9) Ita S. Alph. de Ligorio theol. mor. lib. 4, n. 130.

(10) Pallottini *Canonicæ* § III, n. 78-82.

(11) Pallottini *Canonicæ* § VII, n. 774-778.

Irregularis non amittit fructus, si irregularitas incursa sit post collationem beneficii, ut juxta S. Alph. de Ligorio certum est et commune. Si autem incursa fuerit ante collationem, alii affirmant et alii negant (1).

12^o Quando ecclesia est interdicta aut polluta, canonici non assistentes nihil amittunt, dummodo causam non dederint. Secus autem est in cessatione divinorum officiorum, tunc enim non dantes causam, etiam privantur distributionibus, quas tamen cum omni interesse, ii qui causam dederunt, aliis restituere debent (2).

VIII. Alia absentiae causa est *debita obedientia*, ad quam pertinet, si canonicus absit a residentia de mandato Papae, ut in Apostolicae Sedis servitio occupetur. Occupatus enim in servitio Papae, habetur pro residente in propria ecclesia, cum serviat ecclesiae universali, juxta lib. III Decretal. tit. IV, c. XIV *Cum dilectus*, et c. XV *Ad audientiam* de cler. non resid.

IX. Item alia: *evidens ecclesiae utilitas*, modo utilitas sit gravis judicio Episcopi vel capituli, et sit ecclesiae propriae, cujus quis est canonicus, vel ecclesiae universalis aut totius dioecesis, non vero alterius ecclesiae particularis (3), uti aliqui censent (4). Si enim agatur de utilitate alterius ecclesiae, certum est et admissum, absentiam non excusari (5).

1^o Ex hac causa a residentia excusantur, et fructus percipiunt, qui ad Apostolicam Sedem veniunt, ad eandem circa imminentium electionum negotia instruendam (6); qui ex causa negotiorum capituli recedunt (7); absunt ob negotium vel servitium ecclesiae, vel causa adeundi synodum generalem seu provincialem aut dioecesanam (8); qui mittuntur ad prosequendas lites, vel procuranda communia negotia, vel defendenda jura ecclesiae (9); non autem peregrinantes et devotionis causa loca sacra visitantes, nisi intra tres menses a Concilio concessos peregrinationem fecerint (10).

(1) S. Alph. de Ligorio loco citato.

(2) Ita S. Alph. de Ligorio loco cit.

(3) Ita S. Alph. de Ligorio theol. mor. lib. 4, n. 130, III.

(4) Henry de resid. c. V, § IV, fol. 134.

(5) Ita Bouix de capit. p. III, cap. II, § 13, n. 14.

(6) Sexti Decretal. lib. 1, tit. VI, c. XXX, *Cum non deceat*.

(7) S. C. C. 1589, in causa *Segub.* lib. 5, decret. p. 287, apud Bened. XIV, Inst. 107, § IX.

(8) Lucius Ferraris, *Canonicatus* art. V, n. 37.

(9) Henry loco cit. fol. 133, initio.

(10) S. C. C. in causa *Tudertina* apud Bened. XIV Inst. 107, § X.

2^o Ex eadem causa excusantur canonicus theologalis, quatenus dictum est cap. IX, § 1, n. XIII; canonicus poenitentiarius, c. IX, § 2, n. VIII; duo canonici in servitio Episcopi, cap. XIV, § 1, n. VI; vicarius capitularis, cap. XXIII, § 1; vicarius generalis, sed tantum quatenus inter duos canonicos est in servitio Episcopi; visitator dioecesis (1); canonicus, qui ab Episcopo mittitur ad visitanda limina Apostolica, aut qui comitatur suum Episcopum ad eadem limina (2).

3^o Canonicus, qui ejusdem ecclesiae est parochus, tenetur residere et choro interesse sicut caeteri canonici, tempore quo curam animarum non exercet (3); pro tempore autem, quo divina celebrat officia, sacramenta administrat, vel alia exercet quae spectant ad ipsam curam parochialem, fructus lucratur, et tanquam praesens in choro habetur (4).

Extra ecclesiam cathedralem non licet canonico ejusdem ecclesiae exercere animarum curam, quae nec actualiter, nec habitualiter ad capitulum spectat: nam hoc cum canonicatu incompatible videtur (5). Excipitur tamen, si Apostolica adsit dispensatio, in quo casu canonicus in ecclesia parochiali residere debet, et eodem tempore fructus praebendae canonicatus lucratur (6).

4^o Canonici docentes in scholis publicis, non autem in privatis, Scripturam sacram (7), theologiam, jus canonicum, ac etiam philosophiam, atque grammaticam, licet non lucrentur distributiones, fructus tamen praebendae acquirunt (8), quamdiu in scholis docuerint (9).

5^o Similiter absentes studiorum causa excusantur a residentia personali; talis enim ratio spectat ad evidentem ecclesiae utilita-

(1) Garcias de benef. p. III, c. II, n. 332-335.

(2) S. Alph. de Ligorio, lib. 4, theol. mor. n. 130, III.

(3) S. C. C. 5 Dec. 1682, lib. 32 decret. p. 500 apud Pallottini *Canonicis*, § V, n. 114.

(4) Garcias de benef. p. III, cap. II, n. 335; Henry de residentia cap. V, § IV, fol. 133 in fine.

(5) S. C. C. in *Venusina*, 4 Dec. 1762, et 30 Julii 1763, apud Zamboni *Canonicis* § 1, n. 56 et vol. 4, *Canonicis* § II.

(6) Fagnanus in 1 p. III Decretal. de praebendis c. *Licet*, n. 67; Garcias et Henry loco cit.

(7) Conc. Trid. sess. V, cap. 1, de ref. in fine.

(8) S. Alph. de Ligorio, theol. mor. lib. 4, n. 132; Bouix de capitulis p. III, c. II, § 13, p. II, n. 6.

(9) Lib. V, Decretal. tit. V, de *Magistris*, c. V, *Super specula*; Reiffenstuel lib. III, Decretal. tit. IV, n. 135; Giraldi, *Expositio Jur. Pontif.* p. 1, sect. 787.